



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXXIII. An possit concedere licentiam ingrediendi Prælati Regularis
Conventualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DVBITATIO XXXIII.

An possit concedere licentiam ingrediendi
Prælatus Regularis Conventualis.

S V M M A R I V M.

- 1 Prælatus Regularis conventualis potest concedere licentiam ingrediendi claustrum Monasterij Monialium sibi subiecti, dummodo a suis superioribus Generalibus eidem ablata non sit talis facultas.
- 2 Generalis, vel Provincialis non potest dare licentiam ingrediendi Monasterium Monialium auctoritate Pontificia soli Prælato conventuali subiectum, quamvis tempore visitationis possit inquirere, an abusus fuerit dicta facultate.
- 3 Ingressus intra Monasteria Monialia absque speciali Pontificia licentia fratribus Minoribus in eorum Regula interdicitur.
- 4 Regula prædicta cum nullum Monasterium excipiat, intelligitur de Monasteriis quarumcunque Monialium.
- 5 Generalis nihil potest fratribus Minoribus concedere, quoad ingressum in Monasteria Monialia, propter Nicolai III. declarationem.
- 6 Cardinales, & Episcopi, vel alij habentes privilegium ingrediendi Monasteria Monialia cum sociis, non possunt assumere pro sociis fratres Minores, si de ipso non fiat mentio in dicto privilegio.
- 7 Fratres Minores ex indultu Leonis X. vocati à Prælati Ecclesiarum, aut à Prælati Religiosis, aut à Visitatoribus habentibus curam aliquorum Monasteriorum Monialium ad hoc, ut visitent prædicta Monasteria, &c. possunt ingredi.
- 8 Limita quod si illi fratres subditi fuerint, obtinere prius debent licentiam à suis superioribus.
- 9 Prælati Conventuales ad hunc ingressum non indigent licentia Provincialium.
- 10 Concessio prædicta non est reuocata per motum Gregorij XIII. qui incipit: *Vbi gratia*.
- 11 Privilegium personale non dicitur solum eo quod persona particulari concedatur, sed etiam quia conceditur certo personarum generi.
- 12 Privilegium relatum ad personas dicitur personale, & relatum ad locum, Curiam, Religionem, Monasterium, vel Collegium est reale.
- 13 Fratres Minores, ut ingrediantur Monasteria Conceptionis, & S. Clare ipsi subiecta præter casus in Regula Monialium concessos, indigent Sedis Apostolicæ licentia.
- 14 Opinio Rodrigue, nempe sufficere legitimam causam, & superioris licentiam, si ante decreto Sacri Concilij Tridentini satis non probatur, & cur.
- 15 Ingressus permissus an non intelligatur secundum consuetudinem legitimè introductam.

Respondetur, quod (quamvis nonnulli, ut Suar. & Confectius in locis supra cit. negent, tenentes, posse talem licentiam concedere solum Generales, Provinciales, & alios quibus ipsi commiserint) tamen affirmandum sit, si talis Prælatus Regularis Conventualis sit Superior illius Monasterij Monialium, & à Superioribus immediatis, vel Constitutionibus ablata non sit ipsi facultas. Ratio est, quia iura absolute, & generaliter traduntur id ad Superiorem pertinere.

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Et hoc adeo verum est, quod si auctoritate Pontificia Monasterium soli Prælato Conventuali subiectum sit, non possit Generalis, vel Provincialis licentiam ingressus ad tale Monasterium concedere; cum in tali casu ipsi nullam iurisdictionem in illud Monasterium habeant: quamvis possint quidem, dum visitant, inquirere, an Prælatus ille iuste facultatem ingrediendi concesserit; quia per hoc non exercent iurisdictionem in Monasterium illud, sed in Religiosum sibi subiectum, de cuius criminibus omnibus (cum sit ipsis subditi) inquirere possunt, sicut & de alijs subditis. Idemque propter eandem rationem dicas de Episcopo respectu Clerici secularis, cui soli Monasterium aliquod subditur. Vide Rodrig. cit. q. 46. art. 5. & Bonac. de clausura, quest. 4. punct. 2. n. 5.

Aduerte tamen hic, quod Fratribus Minoribus interdicitur in sua Regula ingressus absque speciali Pontificia licentia, his verbis: *Precipio Fratribus universis, ne ingrediantur Monasteria, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis*. Quam Regulam declaravit Gregorius IX. (ut refert Collector prius. *g. orum Mendicantium, verb. I. gressus in Monasteria Monial. num. 1.*) intelligi de Monasteriis quarumcunque Monialium, cum Regula nullum excipiat. Et (quamvis postea Alexander IV. & Innocentius VI. dictam declarationem Gregorij IX. coarctauerint ad sola Monasteria S. Dominici, & S. Clare, & Gregorius X. decreverit, quod Fratres Minores possint declaratione Alexandri V. & Innocentij IV. vti ex sui Generalis dispensatione) tamen quia tandem Nicolaus III. decrevit, standum esse declarationi Gregorij IX. qua Pontifex declaravit, in quolibet Monasterio Monasteria ingressum Fratribus Minoribus esse interdictum, sit quod nihil iam possit Generalis in hoc casu concedere, propter hanc ultimam Nicolai III. declarationem. Videatur idem Collector loc. cit. num. 9. & 10. Rodrig. quest. 46. art. 3. in principio. Miranda de Monialib. q. 2. art. 3. concl. 1. & Bonac. de claus. q. 4. punct. 2. num. 7. qui propterea recte inferunt, Cardinalem, Episcopum, vel alium habentem privilegium ingrediendi Monasteria Monialia cum sociis, quos secum assumere voluerit, non posse assumere Fratres Minores; cum isti, ut dicebam, non possint ingredi Monasteria Monialia absque speciali Sedis Apostolicæ licentia; & in prædicto privilegio, ut suppono, non fiat mentio de ipsis Fratribus Minoribus.

Concessit tamen Leo X. dictis Fratribus Minoribus, quod vocati à Prælati Ecclesiarum, aut à Prælati Religiosis, aut à Visitatoribus habentibus curam aliquorum Monasteriorum Monialium, ad hoc ut visitent prædicta Monasteria, vel exercent omnia alia, quæ in Monasteriis sibi subiectis exercent, vel ad hoc, ut intrent cum ipsis Prælati, vel Visitatoribus ad videndum officinas, & totum Monasterium interius, possint ingredi non obstantibus suæ Regulæ prohibitionibus, & declarationibus, dummodo, si Fratres illi subditi fuerint, impetrent suorum Superiorum licentiam: sic Bonacina ubi supra, & Rodrig. loc. cit. q. 47. art. 8. ubi recte notant duo. Primum, Prælatos Conventuales ad hunc ingressum non indigere licentia Provincialium, quia concessio loquitur de Fratribus, qui ita subditi sunt, ut nullum superioritatis munus obtineant; cum si illud obtinent, possint sibi metipsis dispensare, sicut possunt cum alijs, ut dicitur dub. 34. Secundum, concessionem hanc non esse reuocatam per motum Gregorij XIII. qui incipit: *Vbi gratia*, in quo reuocantur omnes facultates ingrediendi Monasteria Monialia, cum ibi non fiat expressa mentio de privilegio quibuslibetque personis concessio, & sic de omni privilegio personali (non enim privilegium personale solum dicitur, quod personæ particulari conceditur, sed etiam quod conceditur

certo personarum generi, vti constat ex *l. quia tale*, ff. 12 *solut. matrim.* Nec de privilegio reali, quale est hoc concessum toti Religioni Fratrum Minorum, siquidem privilegium relatum ad personas dicitur personale, at relatum ad locum, civitatem, Religionem, Monasterium, vel Collegium, est reale, & ideo perpetuum, vt ad posteros in perpetuum transeat; vti recte tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Suarez de legib. lib. 8. cap. 3. num. 4. Socinus in leg. 2. ff. de rebus dubiis, num. 4. Rodrig. tom. 1. quæst. 47. art. 8. ad fin. Bonac. de clausura quæst. 4. punct. 2. num. 8. & Barbosa in cit. leg. quia tale, & constat ex leg. forma, §. quamquam, ff. de censib. vbi Gloss. rationem reddit; quia licet partes illius communitatis quotidie mutantur, semper tamen manet eadem communitas, vel idem populus, *l. proponatur*, ff. de iudiciis.

14 Aduerte secundò, quod ad ingressum in Monasteria Conceptionis, & S. Claræ Fratribus Minoribus subiecta, præter casus in talium Monasteriorum Monialium Regula concessos, exigatur Sedis Apostolicæ licentia, vti refert idem Collector cit. *vers. Ingressus in Monasteria Monialium*, num. 2. & seqq. vbi tamen varias Pontificum concessiones, & reuocationes affert: quapropter Rodriguez tom. 99. Regular. quæst. 46. art. 3. & 6. post longam de hac re discussionem concludit, standum esse decreto Tridentini sess. 25. de Regular. c. 5. vbi generaliter concedit ingressum in Monasteria ex legitima causa, & Superioris licentia. At (quia Tridentinum eadem sess. 25. cap. 22. ait: Si qui vero Regulares, tam viri, quam mulieres sunt, qui sub auctoritate Regula, vel statuto viuunt, eos ab eorum instituto, & obseruantia S. Synodus amouere non intendit) quod dicit Rodriguez mihi satis non probatur, nisi id iam per aliquod posterius privilegium, vel legitime introductam consuetudinem in usu positum sit; itavt quid dicendum sit de Fratribus Minoribus, & de Monasteriis Conceptionis, & S. Claræ, quoad ingressum, attendi semper debeat consuetudo legitime introducta. Rodriguez cit. art. 3. & 6. Miranda de Monialib. q. 2. art. 2. & 3. Casarubius in Compend. privileg. Mendicant. verb. ingredi Monasteria Monial. num. 2. & seqq. Bonacina de clausura, q. 4. punct. 2. num. 6. & 7. Tamburinus de iure Abbat. disp. 23. q. 4. & Lezana verb. clausura, num. 24.

DVBITATIO XXXIV.

An possit concedere licentiam ingrediendi Abbatissa?

SVMMARIVM.

- 1 Abbatissa licet sit verè sui Monasterij Superior, non tamen potest dare licentiam ingrediendi Monasterium; quia etiam ipsa, sicut alia Moniales, tenetur præcepto clausura.
- 2 Gravitas præcepti clausurae exigat, vt facultas concedendi licentiam in Monasteria ingrediendi non committatur prudentia mulieris.
- 3 Abbatissa, vel quicumque alius, neque ex commissione Prælati potest hanc licentiam concedere.
- 4 Abbatissa, vel Confessarius potest facultatem ingressus concedere ex superioris potestate sibi attributa in casibus frequenter occurrentibus, cum ad Superiorem aditus sæpe non pateat.

Respondetur, quod (quamvis cum Nauarro cap. 28. addit. 2. ad num. 143. cap. 25. affirmandum videatur, quia tam Tridentinum, quam cap. pe-

riculoso aiunt, id spectare ad Superiorem, cum ex alio capite Abbatissa verè sit sui Monasterij Superior, cap. dilecta, de excessib. Prælat. & cap. attendentes, §. statumimus, de statu Monachor. & constat ex facultate, quam potest concedere ad usum, & dispositionem bonorum temporalium) negandum tamen sit; quia illius Superioris tantum est hanc licentiam concedere, cuius est Monialibus clausuram indicare: at hoc non est Abbatissæ (cum ipsa clausuræ præcepto teneatur, sicut & ceteræ Moniales) ergo. Accedit, quia sic videtur exigere gravitas rei, & indicare vterque textus supra adductus, quod scilicet id non committatur prudentiæ mulieris. Monach. in dict. cap. periculoso, num. 1. & 2. Dominic. ibid. num. 10. Franch. num. 5. Nauar. sibi contrarius comment. 4. num. 59. de Regular. Rodrig. cit. q. 46. num. 2. & seqq. Azor. lib. 13. cap. 8. q. 6. Confessarius tit. 20. cap. 6. Bonac. de claus. q. 40. punct. 2. num. 5. & Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 14. Subdens, quod Abbatissa, vel quicumque alius, neque ex commissione Prælati possit hanc licentiam concedere.

An autem possit Abbatissa facultatem ingressus concedere in casu repentinae necessitatis, dicam *infra* dub. 36.

Interim dico, posse Abbatissam, vel Confessarium facultatem ingressus concedere ex Superioris potestate sibi attributa in casibus frequenter occurrentibus, cum ad Superiorem aditus sæpe non pateat. Nauar. loc. cit. num. 60. Rodrig. vbi supra in fin. Graff. 1. p. decis. lib. 4. c. 23. n. 6. & Bonacina cit. num. 5. contra Suar. cit. num. 14.

DVBITATIO XXXV.

An possit ingredi sine licentia alterius in casibus necessariis qui potest aliis in iis casibus licentiam concedere?

SVMMARIVM.

- 1 Qui potest aliis in casibus supradictis concedere licentiam ingrediendi Monasteria Monialium, potest etiam ea pro se vti, si opus fuerit.
- 2 Concedens licentiam ex officio aliis ingrediendi Monasteria non debet esse deterioris conditionis quam alij, sed debet vti in ingressu duabus conditionibus, hoc est, vt id faciat in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis viris committatur.
- 3 Deputatus ad officium dandi huiusmodi licentiam, licet sit delegatus, vtiur eadem facultate, secus si sit facultas commissa ad peculiare Confessarios, vt ad ordinarios Monialium, & is non sit ex iis.
- 4 Causa limitata limitatum producit effectum, & facultas non excedit limites suos.
- 5 Per paucos in motu Gregorij XIII. intelliguntur tres, necnon quatuor, vel etiam quinque.
- 6 Per Religiosos intelliguntur etiam seculares Religiosis moribus dotati, & etiam matronæ graues, & vitæ exemplaris.

Respondetur, quod (quamvis Collector privilegiorum verb. accedere ad Monasteria Monial. quæst. ult. in annotationibus Corduba circa finem, *vers. quoad illa duo*, neget ex eo, quia nemo potest secum dispensare, tamen affirmandum sit; quia oppositum est multò probabilius, cum ipse non esse debeat deterioris conditionis, quam alij; sicuti probabam cap. 15.